

Badische Landesbibliothek Karlsruhe

Digitale Sammlung der Badischen Landesbibliothek Karlsruhe

De geomantia; de arte geomantiae - Cod. Karlsruhe 1769

[S.l.], [um 1600]

Thaddaei Hegecii ab hagek doctoris medici, [...]

[urn:nbn:de:bsz:31-250045](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:bsz:31-250045)

THADDAEI
HAGECII AB HAGEK
DOCTORIS MEDICI,
Aphorismorum Metoposcopi-
corum libellus vnus.

Editio secunda.

IN FACIE PRVDENTIS RELVCE
SAPIENTIA: PROVERB. XVII.



FRANCOVRTI
Apud haeredes Andreae Wecheli,
MDLXXXIII.

MARTINVS CVTHÆNVS
LECTORI.

*Frontis ut est index speculū: sic prorsus in ipsa
Fronte, velut speculo, mentis imago patet.
Illud quisque suo tantum non lumine captus
Perspicit; at sapiens solus utrumque videt.
Lumina nil Lyncis, nil sunt specularia Momis:
Frons docet hinc, quicquid pectora clausa
gerunt.*

z 0



INVICTISSIMO
AC POTENTISS. PRIN-

CIPI, DOMINO FERDINANDO,

Dei gratia, Romanorum Imperatori semper
Augusto, Hungariae & Bohemiae Regi, &c.

Domino suo clementissimo: Thad-
dæus Hagecius s. p. d.



QUAEADMODUM *univer-*
sam hanc mundi fabricam, resq;
omnes, quae in ipsa continentur,
ad Deum illum omnis boni fon-
tem, autorem & parentem, v-
niversus generis humani consensus refert: ita
etiam totius Philosophiae, cuius Physiognomo-
nice pars est, eundem Deum autorem esse par-
est credi. Nam si quisquam non tantum va-
rias animantium species, sed ipsam solam ho-
minis speciem contempletur, quam differentes
unius ab altero vultus, quam diversa corporis
lineamenta conspiciet? ut vel hinc perspicuum
esse possit non casu hanc diversitatem accidere,
sed certissima Dei voluntate & providentia,

A ij

qua usque eò se demittit, ut capillos etiam ca-
 pitis nostri certo apud Deum comprehensos es-
 se numero Saluator noster asseueret. adeoque
 etiam minutissimas illas lineolas corporibus
 nostris impressas, ad certum determinatũ-
 que usum in natura à Deo cõditore destinatas
 esse non obscurũ est. qui quidẽ usus, quanquam
 non ex toto & in vniuersum in hac caligine
 mentis humanae à nobis perquiri potest: ta-
 men bonae mentis est usum illum, quatenus
 homini datum est, sedulo in omnibus natura
 operibus inuestigare, atque ita amplitudinem
 & sapientiam summi architecti contemplari,
 qua non minus in his minimis corporis linea-
 mentis, quàm in alio quantumuis vasto & im-
 mani corpore abunde elucet, sicut Aristot. in
 lib. de animalibus diuinum artificium & sa-
 pientiam in contemplatione apiculæ & formi-
 culæ admiratur. Huc spectare videtur et-
 iam illud D. Pauli, ubi dicit, ita propè Deum
 nobis adesse, ut manibus contrẽctari possit. Ac
 ut semel dicam: Nihil est in hoc vniuerso mũ-
 di theatro, quod non sit summa admiratione
 dignum, & cuius non sit certus & determi-
 natus in natura usus: adeo ut iam olim in Phi-
 losophorum scholis comprobatum receptumque
 sit:

fit: Omnia ad certum finem condita esse: nec relictus est de eo ullus dubitandi locus. Quamquam autem haec Dei sapientia in omni opere abundè se promit & explicat: tamen in ipsa natura hominis, que reliquas omnes longè dignitate antecellit, & in qua Dei vestigia impressa cernuntur, attentius singula considerantibus, clarius luculentiusque se conspiciendam præbet. Quod cognoscentes veteres illi sapientiae studiosi, hominis naturam ante omnia sibi contemplandam proposuerunt, ac in ea plurimum admirati sunt illam animorum pariter ac lineamentorum in corporibus diuersitatem.

Quamobrem singulari studio adnisi sunt, ut singulis moribus sua corpora adpingerent, & contra singulis corporibus suos mores, ut ita certius alterum ex altero colligeretur. Quam in re vetustissimus omnium autor Homerus extitit, dum Thersiten egregiè & graphicè depingit, corporis formam cum moribus comparans. Similiter etiam Dares Phrygius, qui satis longum catalogum heroum recenset, pulcherrimèque mores cum forma & figura corporis cõfert. Scribit enim AEneam fuisse rufum, quadratum, oculis hilaribus & nigris: propter ea facundū, affabilem, fortem in consilio, pium,

venustum. Antenorem longum, gracilem,
velocibus membris, versutum, cautum. A-
chillem pectorosum, ore venusto, membris va-
lentibus, magna vi brachiorum, bene crisspa-
tum, vultu hilari, capillo myrteo: propterea
clementem, in armis acerrimum, largum, da-
psilem. Sed non est necesse omnia huc ex illo
transcribere. Satis, arbitror, liquet ex his, di-
ligentissimam in conferendis corporum formis
& lineamentis, cum ipsis moribus & ingenio
vetustatem fuisse. Idem videre est apud Ari-
stotelem, Suetonium, & apud plerisque Poetas,
apud quos passim fragmenta quaedam huius ar-
tis nobilissimae adhuc extant: adeo ut vel hinc
satis cuique clarum esse possit, honestissimam
nobilissimamque hanc artem semper ab illis
habitam esse, & praestantissimos quosque illam
exercuisse. Nam Antenor apud Homerum artis
Physiognomonicae peritus Menelai & Ulyssis
figuram staturamque contemplantur, ex eaq,
de ingenio, moribus, alterius ab altero plane di-
uersis, coniecturam faciebat, & propterea se-
triusque naturam & mores nosse gloriatur,
cum dicit, Menelaum pauci sermonis, sed nimi-
um arguti fuisse: Ulyssis vero orationem hiber-
nis niuibus persimilem. Quare cum tanto
pere

pere ab excellentissimis illis hominibus hæc
ars obseruata & excolta fuerit, quid impedit,
quo minus ad eam excolendam nostrum quoque
conferamus studium? præsertim cum libero ho-
mine dignum sit introspicere, quid quique clauso
pectore gerant, quidque habeant alta mente
repositum. Quantum verò utilitatis secum ad-
ferat huius artis cognitio, hinc perspicuum esse
potest. Sæpe nobis usu venit in amicitiiis & so-
dalitiis, ut quos arbitramur esse amicissimos,
integerrimos, candidissimosque, ù plerumque
sint simulatores infidelissimi, versipelles no-
centissimi peruersissimique. Vbi physiognomon
sæpe, quid animo versent, cognoscere, ac Ther-
siten ab Hectore vel Vlyssè; item Catilinas à
Fabijs & Camillis, distinguere poterit. Quod,
si unquam erat necessarium, certè hoc nostro
peruersissimo infidelissimoque seculo, est ma-
ximè utile & necessarium. An nemo vidit no-
stra ætate Therstas impudentissimos, Vlysses
astutissimos, Catilinas turbulentissimos? Qua
re prudentissimè olim, ut referunt quidam, in
aulis regum, censors morum constituebantur,
qui subditorum, satellitum & aliorum inge-
nia explorarent. Aristoteles quoque in Poli-
ticis suadet ad magistratū legēdos illos, qui sint

forma decenti, & non monstrosa. Et alibi ab his, quos natura signavit, cauendum esse monet. Vulgaris est etiã versiculus: Distortum vultũ sequitur distortio morũ. Vultus enim non planè fallax præbet animi indicium. Sic Martialis lib. 12 hisce signis & notis Zoilum suum cognouit & depinxit:

Crine ruber, niger ore, breuis pede, lumine læsus:
Rem magnam præstas, Zoile, si bonus es.

Et Palladas Græcus quidam Poeta sic quoque claudum quendam notauit:

χαλὸν ἔχεις τ' νοῦν, ὡς τὸν πόδα. ἢ τὸ δὴ ἠθῶς
εἰκόνα τῶν ἐν τῷ σὴ φύσις ἐκ τῶς ἔχει.

Hoc est

Pes tibi quod claudus, quod clauda per omnia sit mens,
Interiori retegunt externa signa malum.

Hanc diligentiam in aspiciendo vultu si obseruasset olim Pompeius, non se Achille & Septimio credidisset: neque Cæsar in manus Bruti & Cæsii incidisset, à quibus turpiter interfecti sunt. Adfert etiam hæc ars utilitatem non modicam præceptoribus, in formandis ingenii, si nolunt oleum & operam perdere, nimirum ut diligenter ex certis notis indolem & vires ingenii discipulorum expendant, neque ad scholam admittant ineptos ad studia & ad
cas

eas artes, à quibus eorum natura abhorret:
*Quin potius sequatur exemplum Alabādensis
 illius Apollonii dicēdi magistri, de quo Cicero
 in Oratore scribit. Hic cum mercede doceret,
 non tamen patiebatur eos, quos iudicabat non
 posse Oratores evadere, operā apud se perdere:
 dimittebat que, & ad quam quemque artem
 putabat esse idoneum, ad eam impellere & hor-
 tari solebat. Hoc exemplum si sequerentur
 nostræ ætatis præceptores, absolutiores haberemus
 in omni disciplinarum genere artifices.*

*Hæc generaliter de præstantia & usu Physio-
 gnomonica dicta sufficiant, quæ quoniam
 generi competunt, eadem etiam speciebus sub
 ipso contentis competere possunt. Quare non
 est necesse peculiarem de Metoposcopia sermo-
 nem instituire, eamque laudibus vehere. Est
 enim eiusdem præstantia, eosdem etiam usus
 habet, qui iam à nobis sunt commemorati.
 quanquam minus, quam reliquæ Physio-
 gnomonica partes excultasit, & serè tota interci-
 derit. Fuisse autem aliquando apud veteres
 artem Metoposcopicam, à qua Metoposcopi vo-
 cati sunt, ex Suetonio in vita Titi videre licet,
 ubi Metoposcopum quendam à Narcisso Clau-
 dij liberto adhibitum narrat, ut Britannico*

Clandij filio ex lineamentis frontis prädiceret, quid illi esset euenturum, nunquid esset obtenturus imperium: ait que constantissime Metoposcopum adfirmasse, Britanicum quidē nullo modo, sed Titum, qui propē adstabat, haud dubiē imperaturum. Sed eius artis ferē nullum iam vestigium extat. Hanc ut, quantū in me est, restaurarem, collegi iam ab annis plus minus decem, diligenti obseruatione plurimorū notabilium casuum, haec paradigmata Metoposcopica, & generalia quaedam in Aphorismos redegi, adiectis his etiam quae passim apud Aristotelem, & apud alios de forma & figura frontis, & de superciliis prädicuntur. Nam alium modum hanc artem constituendi, quā ex multorum exemplorum diligenti obseruatione, fieri posse non intelligo. Insuper adieci aliquot figuras frontis cum suis lineamentis, & suos cuique euentus breuiter adscripsi. Sed reprehendet fortasse hic quispiam, & uerius quā par erit, extenuabit nostram hanc inuentionem, tanquam nouam, incertam, nec authenticam, nec usque adeo frequenter, tam veteribus, quā nostrae etatis hominibus usitata, utpote cuius ex professo non extet ullum scriptū, imo ne vestigium quidē. Huic

nos respondemus: Nouū hoc, & sanè exiguum,
 quod adferimus rudimētum libenter fatemur,
 agnoscimusque nostrum & ex nobis profectum
 esse. Ceterum nouitatem illam nec repre-
 hendi à quoquam merito, nec vitio dari posse
 existimo, nisi fortè ab his, qui mētes hominum,
 natura liberas, captiuas detineri aliorum in-
 uentis cupiunt, nihilq; amplius ex se gignere,
 tanquam viribus omnibus exhaustas & effec-
 tas redditas, existimant. At, qui mentem
 in natiuam libertatem asserere satagunt, ad
 contemplationem sapientissimæ huius fabricæ
 hominis, his non tam reprehensionis nouitatem
 hanc, quàm laudi & maxime admirationi futu-
 ram omnino speramus, in qua postquam a-
 liquandiu substiterit mentis acies, extimula-
 bit illam ad diligentiorē inuestigationem,
 quemadmodum etiam veteribus vsu euenisse
 in prima artium inuentione videmus. Qui
 itaque nouitatem tanquam crimen aliquod
 obijcere voluerint, hos nihil morabimur, nec
 propterea illis succensebimus. Et si enim anti-
 quitas cōciliat gratiam, nouitas inuidiam: ta-
 men hanc ego mihi laudi potius, quàm vitupe-
 rio duxero. Est quidem nouæ artis par adigma
 potius, quàm ipsa ars; illam enim nō proficit eor:

non ita tamen mihi planè inuentionem arrego, tanquam nulla antea fuerit, sed veteris illius artis, & iam penitus extinctæ, nouum illius exhibeo rudimentum, atque illud primò tenue & exiguum, quemadmodum aliæ quoque artes omnes tenues in prima sui inuentione erant, sed poterit in dies, ut ille, ita & hæc usu ac studio maiora incrementa accipere. Facilius enim iam inuentis & cogitatis alii addere, minus rectè dicta corrigere, & in certum aliquem & meliorem ordinem redigere poterunt. Quod ad certitudinem huius artis attinet, id cogitare singuli debet, artem esse, qualis Medicina & Astrologia: quæ quanquam utraque cultior sit hæc nostra, & certa Methodo cõstitutæ: tamen quia versatur circa ea, quæ plerumq; accidunt, in eo cum ea communicat. Ingenium, mores, fortuna, & casus quidam non obscurè cognosci possunt, & pleraq; signa habemus certissimorū euentuū, & plura proferet dies in lucem. Non potest etiam hæc ita sibi constans & perpetua esse in hominum naturis, ac in brutorum animalibus, propterea quod hæc solo naturæ instinctu feruntur, illæ verò etsi ad quædam sunt propense: tamen institutione & educatione plerumque mutantur. Hoc modo Zopyrus
Phy-

*Physiognomon Socratem stupidum esse dixit
& bardum, sumpto signo è iugulorū obstru-
ctione & obturatione, de quo Cicero in lib. de fato.*

Neque etiam causam euentuum hīc à nobis
quisquam querat. magis enim experimento &
observationi credendum est. Neque verò hīc
omnium euentuum & in omnibus signa con-
stituimus, neque id profitemur, sed quorundam
tantum, qui obseruari à nobis annis iam elapsis
potuerunt. Non enim perfectam & absolu-
tam, sed primo inchoatam artem exhibemus:
& premonitos singulos esse volumus, non om-
nes casus ex tam paucis lineis, quæ interdum
non plures tribus conspiciuntur, prædici posse:
hoc enim velle polliceri, quid aliud est, quam
extra humanū ingenium sese attollere & veti-
ta septa transcendere? Hoc autem obseruan-
dum est, quoties rara quadam signa conspex-
erimus, raritatem euentus significare. Præ-
terea magnitudinem signorū semper comitari
magna & notabilia accidentia, adeo ut hæc-
tenus neminem adhuc obseruare potuerim, tam
in hac, quam in Genethliologica arte, ut ma-
lis signis non responderint mali, & rursus bonis
boni euentus. Item, qui Genethliologicam
huic arti coniunxerit, certius de euentibus præ-

dixerit. Hac de dignitate & usu huius artis, & de consilio meo illam excolendi, fusius dicere libuit ad excitandas ad capeffendam hanc quoque professionem bonas studiosorum naturas.

Nunc ad te, inuictissime Imperator Ferdinande, meam conuerto orationem, tuæq; Maieftati hunc meum factum dedico multis nominibus, vel quòd maximè conueniens uisum est hanc nouæ artis inchoationem à tui amplissimi nominis splendore initium sumere, & ritu ueterum ex Διὸς ἄρχου θεοῦ: vel quòd in tuæ Maieftatis regno à me fideli tuæ Maieftatis subdito primùm ea cæpta fit excoli: vel quòd doctrina de consideratione frontium humanarum ad eum potissimū uideatur pertinere, cuius frontem & faciem augustissimam totus orbis Christianus suspicit, & assiduo intuitu contempletur: vel quòd, cum cætera artium & Philosophie studia inuictò animo prosequaris, & ingeniorum operumq; nature mirificus sis admirator & fautor, ad hanc quoque artem tuo auspicio editam aliquid splendoris sit accessurum, & commendatior illa reddita in frequētiore deinceps usu sit apud studiosos futura. Postremò, quòd hæc una sit existis, quæ Mathematicis artibus adnumerari solent, & ex eo genere, quæ
vulgo

vulgo Mantica vocantur; quae studia Regum tantummodo olim fuerunt. Quare hoc etiam nomine Regum studium Regi & Imperatori maximo dicatum nuncupatumque esse volumus: quod ut tuo patrocinio & tutela promoveri protegereque velis, etiam atque etiam reuerenter oro. Datum Praga X Calend. Ianuarij, quo die stella quae est in rictu Pegasi, Muscida vulgo vocata, mane oritur cum Sole, eodemque occidente Nebulosa in capite ORIONIS vesperi exoritur. Eodem etiam die reuerendissimus Dominus Dominus Antonius Episcopus Viennensis dignissimus &c. Praga coram Clero ab inuictissimo Imperatore Ferdinando declaratus est Archiepiscopus Pragensis. Anno MDLXI.

SERENISS. PRINCI-
PIBUS, ERNESTO, MATTHIAE
ET MAXIMILIANO, FRATRIBVS GER-
manis, & Archiducibus Austria &c. Domi-
nis suis benignissimis, THADDAEVS
AB HAYCK salutem & felici-
tatem optat.



VNT anni, Sereniss. Archidu-
ces, bis vndecim elapsi cum pri-
mum hunc libellum Metopo-
scopicum inscripti gloriose me-
moriam Diuo Ferdinando Imperatori, auo
Serenitatum vestrarum charis. Saepe e-
nim ad eius colloquium eram admissus;
quia de occultis rebus naturae, praesertim
verò Astronomicis, libentissimè colloque-
batur, deque multis liberaliter sciscitaba-
tur. Itaque re ipsa cognoui eidem labo-
rem illum meum fuisse gratissimum. Pro-
barunt eundem magni sanè & doctis. viri,
sed imprimis recòditoris Physiologiae stu-
diosi, eumque suis auditoribus prolixè cò-
mendarunt. Hinc factum est, quod iam
à multis annis eius libelli desiderata sunt
exem-

exemplaria . Cùm in comitiis Imperia-
libus Spiræ cū Diuo Maximiliano inclytæ
memoriæ Serenitatum uestrarum patre
amantis. fuiſſem: multos iam tum moni-
tores & hortatores audiebam vt libellum
denuo typographis deſcribendū darem.
Verùm quod his obſecutus non ſum, plu-
rima me impedièrunt: quorum ſequentè
epiſtola candido lectori rationem reddo.

Videns autem monitionibus & petiti-
onibus finem nō fieri, cupiditatem ſtudio-
forum in dies augeri: tandem ipſorum vo-
luntati & iudicio parendum duxi. Sed qui
poſt mortem felicis. memoriæ D. Ferdi-
nādi Imperatoris denuo deſcriptum pro-
tegeret: ei patronum ego digniorem iuſti-
oremque quàm ueſtras ſerenitates, inue-
nire potui neminem: quibus aliàs de iure
poſſeſſio libelli deberet. Quod enim ſe-
mel auo, aut patri donatur, illud iure iuſtę
hereditatis ad filios & nepotes trāſit. Imò
à crimine plagij me vix, ac ne vix excuſare
potuiſſem, ſi poſſeſſionem huius libelli in
alium quempiam transferrem. Quare ſe-
renitates ueſtras reuerenter & ſubmiſſè ro-
go atque oro, vt qua animi benignitate

B

INC.
THIA
BRS GA
Gr. Du
DAEVS
felic.
s. Archi
pi cūmp
m Metro
glorioſa
eratoris
s. Saſpe
n admini
, preſer
ne colloq
er ſcificat
eidem lab
imum. Pr
doctis. vi
fiologiæ
s prolixè
t, quod in
iderata ſum
exer

auus Serenitatum V. hunc libellum complectebatur: eadem liberalitate nūc, quasi renatum, vestrae quoque Serenitates à me accipiant, tuēdumque suo patrocinio suscipiāt, ac me fidelem seruum, vt aui & patris vestri, ita nunc Serenitatum suarum esse, futurumque semper, sciant & agnoscant. Viennæ die I Octobris. Anno à Christo nato

M D L X X X I I I.

CAN-

19

CANDIDO LECTORI

S.



ANTE annos plus minus triginta
 cum impensius curiosusq; incum-
 berem studio Astrologico, animad-
 uerteremq; diuinationes de cuiusq; vita, mo-
 ribus, statu, studijs, morbis & periculis, ex line-
 is uole manus institui: unde ars illa diuinandi
 Chiromantia dicta: subiit animum cogitatio,
 easdem diuinationes, si non meliori, at saltem
pari successu & certitudine ex lineis, & quasi
 characteribus quibusdam, in hominum fronti-
 bus signatis, desumi & institui posse. Quod
 enim quidam rectas, alij curuas, & mirabili-
 ter inflexas intortasq; in frontibus conspiciantur
 habere impressas lineas, alij item cancella-
 tas, & ueluti obelisco circellos, notatas, non nulli
 obscuras & exiles: alij claras & euidentas, alij
 plures, alij pauciores, alij continuas, alij inter-
 ruptas: tantam uarietatem in hominum fron-
 tibus non existimabam temere & fortuito à
 Deo & natura impressam esse: quin potius e-
 iusmodi lineis & notis, quasi hieroglyphicis,
 Deum & naturam aliquid latentis significa-
 tionis in singulis indiuiduis designare uoluisse.

B ij

Signalia Cuiusmodi etiam signa & sigilla, ac figuras, sepe in plantis, lapidibus, & gemmis, impressas cernimus: per quae nobiscum quasi loqui, & vires facultateq; latentes, quae illis insunt, quibusue partibus corporis ac visceribus earumq; morbis adhibenda sunt, nobis proderere videntur. Sic Lichen, Pulmonaria dicta, quae in quercuum, aliarumq; sylvestriū arborum caudicibus nascitur, & formam pulmonis representat, pulmonibus medetur. Et alia pulmonaria, folio Buglossi aspero, hirsuto, albis maculis, quasi vlcusculis circumsperso, pulmonum vlcera sanare dicitur. Alkekengi renibus & vesicae. Filix spinae dorsi, & lumborum doloribus. Scrophularia scrophulis & cōd, lomantibus auxiliantur. Sic etiam Perforata aliquot eiusmodi signis & sigillis insignita est, quae nobis indicat valere eam ad aperire dos poros, ad vulnera glutinanda, ad abigenda phantasmata & spectra, ad vermes & serpentes abigendos: quae omnia commemorare huius instituti non est. Tales signaturas & sigilla veteres diligenter considerasse in omnibus rebus creatis liquidissimum est. Ex hoc fonte Physiognomia, Chiromantia, & Metoposcopia suam acceperunt originem. Ac duarum priorū artium adhuc aliquis apud quos-

quosdam usus est. At Metoposcopia iam dudum
planè interit: sicut & ea consideratio signorū,
 seu signaturarum, in plantis & mineralibus
 hac usque iacuisse sepulta, nisi eam Paracelsus
 nostra etate, eiusq; sectatores, nunc postliminio
 reuocassent excitassentq;. Fuerit ne verò ve-
 tus Metoposcopia ex iisdem fundamentis ex-
 tructa, ex quibus nostra hac recens, dicere ne-
 queo. Neque enim eius vel præcepta aliqua, vel
 exempla in autoribus extat, nisi solum nomen,
 testatū faciens aliquando eam excultam fuisse:
 & hac arte celebres quosdam extitisse Meto-
pocospos.

Cum igitur, ut dixi, admirarer varietate
 structuræ ac lineamentorum humanarum
 frontium, eaq; cum euentibus quibusdam raris
 & admirandis conferrem, crebraq; observa-
 tione vera esse comprobarem, inde hoc rudi-
 mētum artis, certis aliquot sententiis & Apho-
 rismis comprehensum enatum est: quod apud
 me plures annos delituerat, antequam luce fu-
 isset donatum. Expectabam enim ut HIE-
RONYMVS CARDANVS prior suam
 Metoposcopiam, quam se habere publicè profite-
 batur, ut eius edenda spem nobis saepe faciebat,
 proferrer in publicum. Verum cum subinde

differret editionem, ac ne quidem librum mihi olim inspiciendum dare voluisset: ego meorum rudimentorum editione ipsum ad eumlationem sui operis excitare volui. Ac sunt huc usque à prima editione mei libelli anni exacti XXI: & tamen neque viuo, neque vitafuncto Cardano quicquam eius rei prodiit. Dixi, denegasse mihi Cardanum inspectionem suae Metoposcopiae, sed quomodo id acciderit, exponere paucis placuit. Fuit mihi comes itineris in Italia Paulus Dolzius, vir praeclare doctus: cumq; Mediolanum non tam urbem illam amplam videndi, quam viros illic doctos salutandi causa venissemus, & inter eos cum primis Cardanum: siquidem eius nomē in Germania percelebre fuerat: ut quidnam praemanibus haberet coram intelligeremus: admissi in eius coelaue, & exposita causa nostri accessus, mixtisq; vring sermonibus, tandem aliquot manu scriptos libellos deprimit. Eorum vnus erat Dialectica, nuper, aiebat, à se conscripta: alter, ars Medica: & tertius, Secretorum & experimentorum liber inchoatus, qui vnicum saltem folium vnus quaternionis scriptum habebat. In posteriori pagella eius quaternionis legimus adscriptū: Libri edendi, & libri non edendi.

Inter

Inter non edendos tres erāt iam nominati, & quartus adychiebatur Metoposcopicus. Nos cū hunc quoque ob argumenti nouitatem videre desiderassemus, hoc genus officij literati nobis strenuē denegauit. Neque animū istum, durumne an inuidum dicam nescio, flectere potui: quod instando & petendo addebam, me quoque aliquid eius artis obseruasse. Domum igitur reuersus, ilico mea, eo, quo dixi, consilio in publicum edi curauit. Sed exempla libelli iam dudum à multis desiderata fuerunt. A me quoque sepius petitum ut libellum recudi permitterem: quorum nonnulli eius artis & diuinatoriarum studiosos esse profitebātur: ac propter ea ultro hac in parte suum mihi deferebāt studium & operam. Neque ego eorum petitioni repugnaui, dum modo additis propriis obseruationibus si quas habuissent, locupletiozem libellum reddidissent. Ego enim ex illo tēpore quo primū libellum in lucem emisi, nihil eidem adieci, tū ob Medica studia, functionemq; Medicam, quam habui apud D. Maximilianum gloriose memoriae Imperatorem Romanum, dominum meum clementiss. tum ob illa negotia, quae mihi & grauior atas, & administratio cuiusdam tutela, pro qua per septennium in

foro decertavi, subinde afferebat. Quum
denique sidus illud Anno MDLXXIII in athe-
re effulfit: quod silentio praterire non potui:
verum qualicumque mea opella illustrare sum
conatus. Cuius scriptiois causa statim à Theo-
doro Gramineo & Gulielmo Lindano, Episco-
po Ruremōdensi, in campum Theologicum pro-
tractus sum, & impetitus acerbissimè; ut no-
lens volens cum hisce duobus dimicarem de A-
quilone mystico in me contorto. Ac Lindanus
ille, quem ego ne verbulo unquam lesi, neque
eidem notus fui, adeo acerbè in me debacchatus
est, ut ne minimum quidem locum inter Chri-
stianos mihi reliquerit. Et quanuis, ut dixi, i-
gnotus essem ipsi, neque ille unquam meam fi-
dei confessionem, quid vel de Deo sentirem, au-
diuisset: tamen me inauditum calumniari tur-
piter, & impudenter condemnare est ausus.
Adiecit etiam verbis expressis, me diaboli do-
ctrinam pro Christi Euangelio venerari, &
alia plura.

Quare utrique respondendum fuit, depel-
lendam à me notam infamiam, quam mihi inurere
conati sunt duo isti boni viri. Opposui autem il-
lorum Aquiloni mystico meum Aquilonem hi-
storicū, quem tamen huc vsq; ob graues causas,
veluti

veluti carcere clausum, detinere me oportuit, & non permittere ut liberè carperet hanc auram popularè. Verùm cum mei aduersarij more impatientes, & dimicationis percupidi, praesertim verò Straminæus ille, subinde me suis scriptiunculis laceffere & proritare, additis cōuitijs, non desisteret, necdum tamen me in acie conspiceret: quasi me deuictò triumphos inter suos agere cæperunt. Ut igitur & vanam opinionem victoriæ ex animis illorū tollerem, & depellerem aliquo modo calūnias, & sanarem vulnera mihi immerenti inflicta, ex integro meo opere Aquilonis historici leuem quendam prodromum manu scriptum, tertio iam decurrente anno emisi: & ut duos illos meos aduersarios leniter afflaret, eorumq; spiritus vitales, & adio meæ responsionis penè oppressos, recrearet refocillaretq; operam dedi. Graminæum enim præ habitu obeseusculo, ac summum bonitatis gradum adepto, perichitari audiebam: cui tempestiuè, ego illi, scilicet, Samaritanus, succurrere volui. Ac peruenit tandem ad aures meas, vtrumq; meo illo prodromo mirificè oblectatum esse, illum verfassè manu diurna nocturnaq; atq; etiam de eo cōmunicasse cum alijs, eorumq; iudicia requisivisse. Cum enim meum illum

prodromum in solos illos duos ex Bohemia in Belgicum flare permiserim: illi eundem in Austriam usque, sed latenter, & intra certas metas, soluerunt. Rectius, meo iudicio, fecissent si ei, donec ipsemet Aquilo reclusis claustris perflare omnes regiones cœpisset, liberam spirationem concessissent.

Horum obiter hic mentionem facere volui, eorū gratia, qui meo silentio me causa cecidisse clamitabant.

Nunc reuertar ad causas à quibus paulisper digressus sum: cur videlicet hunc libellum non auxerim: inter quas earum vnā, Medicam functionē fuisse dixi: alteram, studia & curas atatis grauioris. His hanc quoque adijciā, quod eadem illa atas ingrauescens id etiam secum attulit, quod istis studijs inuentutis, & curiosis diuinationibus minimè oblectabar: idq̄ non tā incertitudinis artis diuinatorie, quam quorundam curiosorum hominum causa, quod non contenti mediocritate artis, plura quam ars in se contineret, sibi prædici postularent: ac rursus diuinatores, ne ignari prædictionū esse viderentur, nihil non promitteret querentibus: atque id ex temerario suo iudicio, & audaci temeritate. Cuiusmodi diuinatores & vates mē-
daces

daces atas hac nostra habet plurimos: quorum princeps est, mendacissimus ille nebulo & impostor, qui mendacissima fata suo Calendario diebus pene singulis adscribēs, & literis alphabeti, quasi ha magnarum quarundam rerum, quas proferre in publicum non liceret, nota essent, nugas suas velans, totum mundum conturbare & infatuare non desinit.

Habet etiam atas hac non paucos, potissimū verò altioris conditionis homines, qui titillatione predictionis rerum magnarum, ita habent occupatum errore animum, ut vanissima mendacia vanissimorum Astrologastrorum nō cernant oculis, nec palpent manibus, sed admirentur, & ad eorum vanicinia, quasi fascinati, obstupescant. Et si saltē unicam voculam in istis vaniciniis offendunt, quam ad desiderium mentis suae inflectere queant, ilico Astrologum ea praevidisse, & innuere voluisse predicant. A quo tamen si quererēt, an illa esset eius sententia, quam isti homines sibi fingunt & pingunt, constantissimè negaret. Sed hanc virorumq; hominū moriam ne Erasmus quidē sanauerit.

Ha iam commemorata causa fuerunt, cur totis hisce annis prae teritis nullum amplius studium in his diuinationibus ponere, libellumq;

augere, excepto unico exemplo, neq. voluerim
 neq. potuerim. Verum cum subinde non des-
 terent plures, qui ista consideratione natura
 delectantur, libelli editionem petere, affirma-
 rent q. non paucos, exemplis impressis destitu-
 tos, manu sibi describi curauisse, & mutuo fru-
 endum libellum, quasi per manus, tradidisse:
 tandem passus sum illum recudi, communica-
 ris librario iconibus, quas adhuc penes me ha-
 bebam integras. Qui se istis diuinationibus,
 & contemplatione natura oblectant, per me
 licebit ut artem hanc pluribus exemplis & ob-
 seruationibus adaugeat, & locupletiozem red-
 dant: id modo meminerint ut hac arte, quo-
modo ceteris diuinationibus, sobrie & uti-

Christianos decet, utantur. Valele-

Et or candide. Vienna ex Museo

nostro die I Octobris Anno

MDLXXXIII.

T H A D D A E I
HAGECII AB HAGEK
DOCTORIS MEDICI,
Aphorismorum Metoposco-
picorum Libellus vnus.

De forma & figura frontis.

METOPOSCOPIA est ars diuini-
nandi ex fronte. Græcè enim
μετωπον, Latinè frons, & *σκοπεῖν*
speculari dicitur, quasi dicas
Frontis inspectio.

Frons faciei pars est inter sinciput & oculos.

Frons est index tristitiæ, hilaritatis, clementiæ, seueritatis. Vnde prouerbum: *Frontem exporrigere, & Frontem cōtrahere.*

Frontem Aristoteles sedem verecūdiæ & honoris posuit: atque id propter vicinitatem imaginatiuæ virtutis, quæ cum sensu communi in anteriori parte cerebri, veluti prora capitis collocatur. cuius virtutis vi tristitia vel læta, decētia vel indecentia, ad rationis iudicium subito deferuntur,

ab eoq; diiudicatur. Hinc perfrictæ frontis eos esse dicimus, qui pudorem omnem abiecerunt.

Frons est omnium neruorum à cerebro descendentium ad sensum perficiendum quasi quædam turris & propugnaculum, ad cuius concauitatem concurrunt nerui sensitiui quinque exteriorum sensuum, quorum ministerio, de omnibus obiectis sensuum, apud rationis domicilium, fit iudicium.

Frontis cutis cum muscolosa quadam & tenui substantia, quæ illi subdita est, vnitur: vt partes manuum internæ, & plantæ pedum cum tendone coalescunt.

Frons à subiectis ossibus per membranam periosteon distincta est, solaque ex duabus cutibus mobilibus constat, ac breuiter tota in se laxa: ob id certè motu voluntario mouetur.

Frontis cutis mouetur vna cum palpebris per certos musculos & neruos ad oculorum clausuram aperturamque.

Muscolosa compages fronti subiecta, à qua supercilia attolluntur, & morus frontis perficitur, suas fibras habet deorsum
versus

versus tendentes : quas transversim Chirurgi imperiti secantes, in causa sunt vt frontis cutis tota delabatur ad oculos.

Latitudo frontis incipit à radice nasi vbi terminantur cilia, versus commissuram coronalem.

Longitudo frontis intelligitur per latitudinem corporis, vt villi ac nerui incedunt.

Rotunda frons dicitur illa, quæ prominet & extuberat in conuexum.

Plana frons est, quæ non assurgit ad aliquam extuberantiam, sed quædam æqualitatem in omnibus suis partibus seruat.

In omnibus rebus est externa quædam nota, qua deprehendimus ea quæ oculis non sunt subiecta, hoc est interna. Sic & natura rei suos, rursus Magia suos habet, quos signat.

Frons quibus permagna, ignaui. Refertur ad boues.

Frons quibus satis magna, carnosa, & leuis, constantes & boni animi.

Frontem magnam semper comitatur grossities carnis; Cōtrà paruam, subtilitas.

Frons quibus parua, indociles. Refer-

tur ad suos.

Frons quibus rotunda, carnosâ, stupidi & hebetes. Refertur ad asinos.

Frons quando nimis eleuatur, & quasi in superficie rotundatur, excessum cholerae significat; & tales plerunque dispositi sunt ad cholericas passiones, sicut ad phrenesim & furorem.

Frons in qua minor est planities, focordes & stupidi.

Frons quibus quadrata & commensurata, euidentissima prudentiæ, fortitudinis, intellectus, magnificentiaeq; index. Refertur ad Leones.

Frons quibus serena & protensa, adulatorum. Refertur ad passiones. Et est frons æqualis protensa, quasi ultra tensa. Dicitur etiam collecta frons, id est, tensa vel tranquilla. Id in canibus videri potest, qui cum adulantur, serenam frontem habent.

Medius habitus frontis inter serenam & nubilosam, bonus & congruens iudicatur.

Frons quibus tetrica, anxii. Refertur ad affectum: quoniam qui se cruciant, tetrici sunt.

Frons

Frons quæ in gyrum eleuata est, à quibusdam probatur, maximè si capiti bene respondeat. Sin autem temporum prominentias occupet rotūditas illa, sitque subinde depilis, indicat præstantiam ingenii, cupiditatem honoris, arrogātiā, & quæ magnanimos omnes consequuntur.

Frons glabra & complanata cuticula, nisi intra supernam superficiem nasi, profanum, fallacem, iracūdumque significat.

Frons caperata, & rugis contracta, in medio tamen declinior, vnà cum duabus optimis virtutibus, videlicet magnanimitate, & ingenio, pessimum vitium habet crudelitatem.

Frons prægrandis, rotunda, depilis, audacem & mendacem.

Frons oblonga, cum oblonga facie, mento tenui, crudelitatem & tyrānidem.

Frons confusa & tumida, nimia vultus pinguedine, instabilem, phlegmaticum, crassum, hebetem.

Frons angusta, stolidum: longa, docilem & optimos sensus: Sublata, turgida, rotunda, versutum, tergiuersum: Rugosa, curis oneratum: Rotunda, inuidum, dolo-

34 THADDÆI HAGECII
fum, & iracundum: Ampla, largum, liberalem, designat.

Frons quibus tristis cum vultu demisso, queruli seu lugentes. Refertur ad affectum. Nam qui lugent & lamentantur, vultu sunt demisso, solliciti.

Frons acuta, recta, non magna, valens, neque levis, neque omnino rugosa, magnanimum indicat.

Frons quasi cacumen quoddam habens & fossulas quasdam, callidi & perfidi indicium.

Frons quibus est plana & continua sine rugis, inflexiles sunt & insensibiles, id est, pertinaces in ira, obstinati & litigiosi.

Frons quibus in medio contrahitur, iracundi sunt.

Frons quibus oblonga, macra & concava, timidi sunt, dolosi, & ambitiosi.

Qui habet rugas frontis superius retrahatas, magna cogitare consueverunt, & plerunque sunt melancholici.

Qui habet frontem laxam & tanquam arridentem, palam adblandiuntur; à tergo verò pessimè detrahunt.

Frons parua & subtili pelle denotat spiritus

ritus subriles & mobiles: & contrà. Spiritus autem est substantia subtilis, aërea, dilucida, ex leuissima & tenuissima quaque sanguinis parte producta; per quem defertur virtus animæ ad proprias illius actiones. Quare vbi cumque est nimia frontis crassities, ibi etiam spiritus crassos gigni necesse est, qui non sunt apti ad meditando.

Frons nimis attenuata & corrugata, cerebri defectum & humoris substantifici consumptionem designat, vt patet in senibus, & in his qui à diuturnis morbis exhausti & extenuati sunt.

Frons tensa & lucida, adulatores sunt & dolosi, vt supra dictum est.

Frons in longum rugosa, præsertim in radice nasi, arguit cogitationes melancholicas.

Frons erugata exporrectaque fallaces.

Frons valde distorta, secordem ac stupidum.

Frons alta, lata, & longa, auget bona.

Frons alta rectaque, contumaciam.

Frons depressa atque humilis, virilis non est.

Frons distenta, securitatem.

Frons in temporibus quasi inflata grossitudine carnis, maxillis plenis carne, multum animum arguit, iracundiam, superbiam, & ingenii grossitiem.

Frons curua eadémque alta & rotūda, stoliditatis indicium est & impudentiæ.

Frons aspera, quæ quasi fossas habeat, infidum, callidum, & si cætera affuerint, stolidum.

De lineis frontis.

Lineæ frontis in longum non comprehenduntur certo numero in singulis hominibus. Alii enim plures, alii pauciores lineas habēt: vt plurimum tamen pauciores tribus hætenus in nullo mihi videre contigit.

Suprema linea proxima commissuræ coronali dicatur Saturno; altera Ioui; tertia Marti. Hoc statuimus quadam similitudine maioris illius mundi cum minore, & verum esse obseruatione in multisprehendimus. Immediatè verò supra vtrumque supercilium interdum etiam

vna

vna conspicitur solet linea, quarum dextra Soli; sinistra Lunæ adscribitur. At quæ sunt inter supercilia, Mercurio. Intercilia verò, & in radice nasi, Veneri dicantur. Quâdo autem plures ordine se cõsequuntur lineæ, singulæ singulis Planetis attribuntur, eo ordine quem Planetæ in superiori mundo seruant; præterquam quod inter supercilia perpetuò Mercurio adscribuntur, vt in sequenti figura videre licet.



Lineæ benè collocatæ & fortunatæ dicuntur illæ, quæ vel rectæ sunt, vel parum

C iij

inflexa, cōtinua, perspicua, non diuulsa, non distracta, non cancellata, aut veluti obelisco notate, neque se mutuo secantes. Contrà, malè collocata & infortunata sunt illa, quæ sunt nimium intorta, inflexa, & veluti cadentes, diuulsa, cancellate, circello, globulo & veluti obelisco notate, atque mutuo sese interfecantes.

Linea, quæ aliis paruis lineolis cancellantur, aut si illa in formam crucis per obliquum se interfecant, pericula, impedimenta, damna in eo genere euentuum, quod ipsa linea denotat, significant. Vt si linea Iouis hoc modo secta fuerit, damna in his rebus quæ per Iouem significantur, portendunt. Sic de cæteris.

Linea simplices & recta, simplicitatem & rectitudinem animi notant. Sic cōtrà obliqua, inflexa, aut quomodocumq; intorta, semper varium, astutū, dolosum, & simpliciter malum indicant.

Linea benè conspicua & magna, magnos & notabiles euentus. Parua & obscura, paruos & obscuros significant.

Sicut dextram partem Soli, sinistram Lunæ adscripsimus: ita etiam dextras partes

tes maribus, sinistras fœminis attribuimus.

Linearum multitudo non laudatur. Significat enim multa & varia negocia, quæ difficulter deducuntur ad finem. Paucitas contrâ & simplicitas, animi rectitudinem, simplicitatem, & seria negocia.

Rara signa raros euentus significant. Adparent enim interdum cruces, circelli, stellæ, & varii characteres, qui diligenter notandi sunt. Sunt enim veluti diuinæ literæ, quibus scripta & designata est hominum vita.

Linea in ramos expãsa, negocii distractionem in varia, & hominem vagabundum, mutabilisq; consilii denotat.

Lineæ interdum crescunt & augentur, interdum decrescunt & imminuuntur.

Quare illæ augmentum & res futuras, hæ decrēmētum & res præteritas denunciât.

Formæ figurarum confimiles euentus declarant. Sic crux in fronte, suspendium minatur.

Duæ lineæ, aut ad summum tres, in loco Mercurii, atque hæ rectæ & simplices, facundos, sapiētes, & rectos notant. Contrâ, si plures tribus fuerint, & à rectitudine

aliquantulum deflexerint, aut saltem per obliquum positæ fuerint, & sese mutuo fecuerint, aut attigerint, arguunt loquaces, garrulos, obtrectatores, dolosos, varios, mēdaces, cuiuslibet rei simulatores & dissimulatores, ardentēs in cupiditatibus, inquietos, turbulentos. In muliere, loquaculam, contentiosam, veneficam, & malis artibus deditam, indicant.

Circelli parui aut verrucæ in linea Saturni, casum ab alto, pericula aut damna, significant: In linea Iouis, paupertatem, iniustitiam: In linea Martis, homicidia, crudelitatem: In linea Veneris, libidines omnis generis flagitiosissimas: In linea Solis, principū & superiorum inimicitias: In linea Lunæ, odiū vulgi: In lineis Mercurialibus, falsarios, portendunt. Eadem etiam designant cancellationes linearum, aut earum diuulsiones.

Linearū magna flexuositas in longum, præsertim maiorum, videlicet Saturni & Iouis; item Saturni & Martis, valde est illaudata. Denotat enim pessimos sceleratissimósque.

Lineæ moderatè inflexæ lucra portendunt.

dunt. Dictum est enim planè rectas, animi rectitudinem & simplicitatem portendere; quæ ubi est, ibi lucra & diuitiæ esse nequeunt. Sicut enim Poëta cecinit: *Non bene conueniunt, nec in una sede morantur Maiestas & amor*: Ita etiam contrà dicere possumus: *Et probus & diues manet uno corpore nunquam*. Ut igitur opes & lucra eueniant, necesse est à recto aliquantulum deflectere. Huc spectat etiam populare illud dictum: *Omnis diues aut iniustus, aut iniusti heres*. Et Plato quinto de legibus, refutans eorum sententiã qui ciuitatē exoptabãt esse quàm ditissimam, ac longè latèque dominari terra mariq; ibidem confirmat fieri non posse, vt prohibitas & iustitia sint coniunctæ cum magnis diuitiis. Et in ciuitate quæ seditionem effugere velit, oportere nec inopiam esse, neque diuitias.

Linea alteram longitudine superans, fortunam ampliorem designat. vt, Si Iouis longior sit Saturni linea, diuitias, & in omnibus rebus, quæ per Iouē significantur, successum & fortunam pollicetur. Sic, si Martis linea cæteras longitudine superat,

nec sit impedita cæcellatione, aut verruca, vel alio aliquo signo, Martialem hūc esse, bonamq; fortunam in rebus Martialibus designat. Sic quoque de cæteris lineis iudicium facito.

Lineæ à sua continuitate diuulsæ, præsertim Saturni aut Martis, infortunia & casus significant.

Lineæ parux & exiles multæq; ingenium & negocia multa significant.

DE PLANETARVM significationibus.

*Significationes Planetarum distinguuntur
in res & personas.*

SATVRNVS ex rebus significat agriculturã, terre fructus, fodinas metallicas, thesauros, ædificationes, opificia impura, tenacitatẽ, hæreditates mortuorum, carcerem, æs alienum. Ex personis, senes, agricolas, fossiores metallorum, lapidarios, coriarios, figulos, Iudæos, Mauros, inuidos, pertinaces, solitarios, taciturnos, infidiatores.

IVPITER ex rebus, dignitates Ecclesiasticas,

asticas, religionem, regnum, iustitiã, honestatem, commēdationes, beneficia, &c.

Ex personis, magnanimos, verecūdos, mansuetos, Prælatos, Episcopos, Iurisperitos, Iudices, aduocatos, nobiles, diuites, præfectos prouinciarū vel ciuitatum, &c.

MARS, ex rebus, contentiones, rixas, militiam, bellum, victoriã, fortiter gesta; fabrilem, chemiam, & omnia opificia que fiunt per ignem; tyrannidem, violentiam, &c. Ex personis, contumeliosos, seditiosos, coniuratos, prædones, iracundos, cru- deles, audaces, inuerecundos, conuiciato- res, chirurgos, lictores, duces, capitaneos, qui ferrum & ignita opera tractant, bom- bardarios, machæropœos, fusores, &c.

SOL significat res omnes maximas, re- gna, respublicas, nobilitatem, magistratus, magnanimitatem, fortitudinem, splendo- rem, dominationem, honores, &c. Ex personis, Reges, Principes, Comites, ma- gistratum, splendidos, claros, prouidos, a- mâtes & cupidos honorū, ambitiosos, &c.

VENVSEX rebus, amorem, misericor- diam, affabilitatem, comitatem, vrbanita- tem, pulchritudinem, donationes amico-

rum, mulierum; coniugium, dotem, ornamenta, & res preciosas, libidines, luxum, &c. Ex personis, mansuetos, comptos, saltatores, procos, mulierosos, appetentes deliciarum & conuiuiorum, phrygiones, musicos, poëtas, pictores, &c.

MERCVRIVS ex rebus, contractus, negotiationes, omnes artes quæ in ingenii cõtèmpatione versantur, studia honesta, inuentionem nouarum artium, diuinationem, curiositatem, garrulitatem, &c. Ex personis, Philosophiæ professores, Mathematicos, scriptores, cancellarios, mercatores, sculptores, omnis generis artifices ingeniosos, sagaces, dolosos, callidos, instabiles, &c.

LVNA ex rebus, omnia quæ humore abundant, mare, flumina, & horum affluxus & refluxus, studiũ historiarum, legationes, navigationes, itinera, peregrinationes, &c. Ex personis, Reginas, viduas, plebem, & eos qui in assiduo motu sunt, vt nautas, cursores, legatos, nuncios, piscatores, vagabundos, pufillanimes, inconstantes, &c.

De superciliis.

Superciliorum locus est etiam frons, & est in compage ossium positus. Sunt autem Supercilia tum utilitatis, tum decoris gratia homini formata: Utilitatis quidem, ut delabentes humores arceant, utque fit veluti imbricamentum humoribus à capite defluentibus.

Supercilia habent etiam vim occultam adfectionum animi. Vnde proverbum, *Supercilium attollere*, pro eo quod est arrogantem & superbum esse. Et fastuosos homines *superciliosos* nominamus.

Supercilium dextrum magis attollitur, & arcuatum magis quam sinistrum habetur; quia omnes partes movēdi causa vergunt ad situm superiorem. Sic etiam ren dexter superior est sinistro.

Quibus perpetua sunt supercilia, tristes sunt. Refertur ad adfectus similitudinem.

Quibus supercilia ad nasum sunt detracta, ad tempus retracta, simplices sunt & fraudi expositi. Refertur ad suos.

Supercilia recta & longa tanquam lineæ, fœmineam prætendunt molliciem,

ac animi leuitatem.

Supercilia arcuata & fatis magna, nec in vnum coëuntia, neque multum ad tempora remissa, subtilem, ingeniosum ac studiosum arguunt.

Supercilia arcuata si coniungantur in cono, seu in radice nasi, & declinât ad tempora, adestq; gibbositas genarum, tristem, inuidum, rudem, & incompositum animum indicant.

Supercilia iuxta nasum inflexa, significant animum austerum & acerbum.

Supercilia multorum pilorum, animum iracundum, animosum, & magna meditantem notant.

Supercilia iuxta tempora inflexa, derisorem, dissimulatoremq; indicant.

Supercilia in totum demissa, notam inuidiæ habent.

Supercilia spissa, & longorum pilorum, ut visum propemodum obumbrent, excessum caloris signant.

Supercilia paucorum pilorum & carnis multæ, sensum durum signant & obrusum & frigiditatem in membris principalibus dominantem.

Supercilia pilis spoliata, aut interiorem
fan-

sanguinis corruptionem significant, ut patet in leprosis: aut naturalis humoris consumptionem, ut in hecticis, & similibus: aut meatuum & viarum, per quæ humores transeunt, oppilationem, ut patet in castratis. Item *Salitium* (sic enim Gaza superciliarum læuitatem; sicut *caluitium* capitis glabritiem, vult adpellari) signum est immoderatæ libidinis. Cum enim ob nimiam resolutionem calidi in Venetrem, cerebrum, quod suapte natura frigidissimum est, tanto quidem magis refrigerescat, efficitur hoc ipso imbecillum admodum: ex qua imbecillitate cum sufficere pilis alimentum nequeat, necesse est illos decidere, æquè ac frondes ipsæ à ramis decidunt, vbi humor hic à radicibus non sufficitur. Est enim pilorum alimentum crassior & fuliginosa humorum eluuius è cerebro ad cutem permanens. Eadem est etiam causa caluitii. Quod verò nonnullis supercilia per senectutem adeò hirsuta redduntur, ut resicare ea oporteat, id propterea evenit, quia ossa superciliarum, quæ antea per futuram coniuncta erant, senescente ætate laxantur, diducunturque; atque ita plus fuligino-

forum excrementorum ad pilorum generationem transmittitur.

Supercilia complicata & dura, vel rubra, hominem inuerecundum, impudentem, & inuidum denotant.

Supercilia alba, fœminiuium, citò credulum, & stolidum signant.

N. Supercilia nigra, non multum curua, interuallo distincta, laudatissima sunt.

Talia enim habuisse Dominum & Salvatorem nostrum Iesum Christum, & castissimam virginem Mariam matrem eius, Niphorus Ecclesiæ Constantinopolitanæ minister, & scriptor historiæ Ecclesiasticæ, in fine libri primi scribit.

Supercilia concreta & se contingentia, omnium sunt pessima. notant enim maleficum, plagiarium, maleficis artibus editum. Et Ioannes de Indagine id se sæpè obseruasse asserit in vetulis sagis; quæ iam ad incendium ductæ, huiuscemodi præferebant supercilia. Accepi etiam Ducem illum Polonicum, profugum, & raptorem virginis, Nymburgi ante triennium a Tartaris crudeliter interfectum, eiusmodi supercilia habuisse.

Super-

Supercilia quibus titillant, videnturq; modicum subagitari se, audacię & animositatis indicium est.

Supercilia molliuscula, plana, atque ex æquo sibi inuicem respōdentia, nigricantibus pilis, contēperatam complexionem, & probum designant.

Supercilia valde pilosa, ostendunt ineptos ad loquēdum, quia arguunt multam & adustam materiam. Item ostendūt ineptitudinem morum & maleficorum; quia intellectus & morigeratio à temperamento tantum causatur, non ab adustione, & fumorum copia. Ex magna nanque adustione semper cerebrū calefcit; & per consequens est garrulitatis causa & furibundi moris, nullo discursu.

Supercilia densa cum multitudinē pilorum coniunctorum ad nasi principium, signant adustionem intēsam: & tales sunt melancholici & prauę naturę, impii, & aliquādo fures & omnino deceptores, homicidæ, ac lenones, & omnia mala complectuntur.

Supercilia ad superius eleuata, si ad originem nasi descēdunt, & superius eleuantur

D

tur ad tempora, signant dominium calidi & sicci; & sunt callidi, & malefici.

Polemon ait: Si frontis pili ad nasi medium densi demittantur; ad partes verò quæ vtrinque existunt, minime; magnanimitatis & maximæ virtutis animi argumentum esse. Ibidem rectos pilos, timidum & dolis præditum notare.

Supercilia si descendunt inferius à parte nasi, & superius eleuantur à parte temporum, inuerecundos & hebetes demonstrant; & hoc propter caliditatē furiosam.

Supercilia longa, arrogantiam, & inuerecundiam notant.

Supercilia rara, mensuratæ magnitudinis, arguunt temperamentum, humorum bonitatem. Talia habentes, ingeniosi sunt, & secreta indagantes.

Frons parua & angusta: Lineæ Saturni, Iouis, & Martis à sua continuitate diuulsæ, aut cancellatæ; Mercuriales verò obliquæ, aut sese secantes, aut contingentes, vel aliàs quomodocunque impeditæ, vt supra dictum est: Supercilia flaua & ferè ipsis oculis imminencia, & ad radicem nasi descendentia: Oculi mobiles, crocci: Adhæc men-

mentum breue: stolidum, temerarium,
impudentem, insidiosum, inquietum, tur-
bulentum, Catilinarium, & fa-
naticum designant.



SE QV VNTVR ALI-
QVOT PICTVRÆ DIVER-
sorum humanæ frontis linea-
mentorū, iuxta accuratam
obseruationem effigiata.

THADDÆI HAGECII
 Diuitias & prudentiam talis
 linea Iouis designat.



Circellus in linea Iouis da-
 mna in diuitiis notat.



Linca

APHOR. METOPOSCOP.

55

Linea sic ad nasum inflexa
mores pessimos denotat.



Ingenium bonum, mores pro-
bissimi & rectissimi, nihil frau-
dis, nihil simulationis.



D iij

THADDÆI HAGECII
 Ingenium varium, mutabile,
 fallax. Diuitiæ instabiles.



Tales lineæ diuitias & bo-
 nam fortunam notant.



Linea

Linéa Iouis sic inflexa diuitias
fraude partas designat.



Damna in diuitiis & in rebus quæ
per Iouem significantur.



D iij

Infortunia &
casus varij.



Multa negotia, eaq;
imperfecta.



Damna

Damna in agris &
possessionibus.



Crux in medio frontis,
fuspensium designat.



THADDÆI HAGECII
Tales lineæ flexuosæ mores
peffimos significant.



Linea sic per obliquum ducta,
mores illaudatos notat.



Homi-

Homicidia & mors
violenta.



Linea sic inflexa turpes
libidines significat.



60

THADDÆI HAGECII

11.

Fortunam lentam, & fa-
cundiam significant.



Simplex, & rectus
animus.



Linca

Linea in ramos expansa,
in consilio mutabi-
lem designat.



Ingenium subtile, aptum ad medi-
tandum. Animus sine fraude. Di-
uitiæ instabiles. Linea Martis cæ-
teris longior iracundum designat.



Casum ab alto.



Pericula in aquis.



Incon-

Inconstans fortuna; nunc
diues, nunc pauper.



Ingenium, diuitiæ, &
fortuna stabilis.



THADDÆI HAGECII
Suspendium.



Diuitias multas.



Verruca

Verruca in linea Martis crudel-
lem & sanguinarium notat.



Lineæ inter supercilia, loqua-
cem & garrulum significant.



E

Homicidia.



Cafum ab alto.



Damna

Damna à ferro & à
rebus Martialibus.



Lineæ Solis & Lunæ sic
coniunctæ, bonam for-
tunam notant.



E ij

Homicida.



Homicida.



Lincæ

Lineæ Mercurij obliquæ, & se mutuo contingentes, malitiosum, contentiosum, turbulentum, & seditiosum notant.



Liberalis, apertus, iracundus, vereus. Sunt enim omnes lineæ rectæ; lineæ Martis longissima, Veneris verò cancellata.



E iij

Diuitiæ & vxores.



Felix & fortunatus.



Vulnera

Vulnera capitis, læsionem
& morsum ab aliquo ani-
mali: Item philtrea.



Animosus, audax. Di-
uitiæ instabiles.



E iiij

Lineæ Saturni & Martis à sua con-
tinuitate diuulſe, leſiones, & ca-
ſum ab alto ſignificant.



Varius, fallax, dolofus,
elati animi.



Asper,

Asper, crudelis, seditiosus, tyrannicus, dolosus.



F.

Manfuetus, placabilis, ingeniosus.



Iam sæpe dictum est, lineas re-
ctas rectos: cōtrà curuas & infle-



xas, versutos, sophisticos, dolosos,
deceptores & simulatores, signi-
ficare. Atque hoc verum esse ita
iam certum est, vt de eo dubitare
nemo debeat. Vnde verò hoc e-
ueniat, nescio, nisi fortè sym-
pathia & consensione rerum, quæ
similitudine quadam & affinitate
sibi mutuo consentiunt, aut dissi-
militudine aduersantur.

Omnes

Omnes lineæ sunt (vt vides)
diuulsæ, & ad nasum descenden-



tes; ac illarum superior, quæ Sa-
turni esse debebat, præter id quod
est impedita, descendit & dege-
nerat in Mercurij lineam. Quod
etsi ad bona animi cõfert: tamen
bona fortunæ mirabiliter exagi-
tat, nullumq; , aut saltem perexi-
guum his hospitium præbet. Cæ-
terùm quia illæ lineæ non sunt vl-
lo modo inflexæ & intortæ, ho-
minem beneficum & sine fraude
notant.

Dicitum est superius, Mercuriales lineas esse eas, quæ inter su-



percilia collocantur. Hic sunt tres lineæ, atque hæ rectæ, nec impeditæ, præterquam quod vna illarum, dextra videlicet, cancellata cernitur. Quare significant ingenium, facundiam miram & inuictam; gnarum, solertem, cum dexteritate omnia facientem, labores assiduos & indefessos, non habentem irritos impetus. At cancellatio illa vehementem nimis, & contentiones assiduas cum Mercurialibus decernit.

Hic

Hic vna tantum linea, nimirum
Martis, est integra, & cæteris lon-



giot. Quare dominari in eo irascibilem potentiam certum est.

Quòd verò Saturni & Iouis linea à sua continuitate diuelluntur distrahunturque, significant multa impedimenta, & animum diuersis intentum, negotiosum, operatum, & quòd res tardè admodum opratum finem adsequuntur.



Insignis vir est hic, & multis præclaris dotibus à Deo ornatus, pietate, humanitate, eruditione, & rerum vsu tanto, quantum vix aliquis cogitare possit: liberalis, & magnanimus. Magnas cruces & afflictiones huc vsque pertulit, exilia, carceres duros; etiam in facie vulnus accepit: denique magnis procellis iactatus, eluctatus ex illis turbulētis fluctibus sapius mirabiliter diuino munere, vt putaret se iam tandem ad portum otiumque traductum esse, rursus in eosdem coniectus. Tantam profectò varietatem fortunæ, paucos in vita sustinuisse existimo.

• Linea Solis supra oculum dextrum inflexa, Solares sibi non futuros fauorabiles & æquos indicat: Sed neque Lunares, ob lineam obliquam attingentem lineam Lunæ.

Ex tot verò lineolis frontis hoc constat ex hac arte, quòd significant varia negotia, quibus implicabitur, ingenium acutum, tectum, & inspicax. Deinde disruptio illa linearum, pericula magna, & aduersitates indicat. Quod verò à linea Martis lineola per obliquum versus sinistru oculum cadat, carceres, odia magnorum, persecutiones, & nescio quid violenti prælagite videtur; & certè vix violentæ mortis periculum effugiet.

IOACH-

IOACHIMVS RHÆTICVS
THADDAEO AB HAYCK S.

SEPIS cogito de tuis studiis, & doleo quòd non possu-
mus mutuas in his operas còmmunicare cotidianis con-
fabulationibus. Christophorus Schram bibliopola Vitte-
bergenfis, mihi tuam Metoposcopiam misit. Velim vt eam
in magnum volumen augeas; & hãc laudem Cardano præ-
ripias, qui tot nunc annos vana nos spe huius artis lactat.
Hoc tempore in manus sumpsi opus Copernici, & cogito
illud illustrare nostris commentariis. Nam post præteritam
nuper Saturni & Iouis coniunctionem die 25 Augusti hora
7 cum dimidia post meridiem, quidam amici me orant, &
vrgent, vt hunc laborem suscipiam. Si quid in hac parte me
iuuare potes, rectè feceris. Nam & nostræ amicitia testimo-
nium velim ad posteritatem propagari. B. V. Cracouia
28 Octob. Anno 1563.

IOACHIMVS RHÆTICVS
THADDAEO AB HAYCK S.

SPERO te studiosum esse lectorem scriptorum Theo-
phraſti Paracelsi. Itaque cum & ego eius scriptis dele-
cter, cuperem tecum deinceps de illis aliquando confabu-
lari. Nuper incidi in fragmentum quoddam Astronomiæ,
quod cum hisce literis tibi transmitto. Audio autem Geo-
rgium Fuggerũ integram habere eius Astronomiam. Quod
si vel ab illo, vel aliunde eam habere possis, velim vt eam
mihi communicates. Ego similiter studebo vt habeam vnde-
cumque possim. Quod si mihi aspirauerit fortuna, faciam
vt eam quàm citissimè accipias. Tuum libellum Metopo-
scopiæ mitas velim: & si præterea illum auxisti, similiter.
Nam pertinet ad Theophrasti Astronomiæ partem, quam
Signatam appellat. B. V. Cracouia 10 Maij Anno 1567.

FINIS.

IOACHIMVS RHETORVS
TRACTATUS DE VITIIS

Faint, mirrored text from the reverse side of the page, appearing as bleed-through. The text is largely illegible due to its orientation and fading.

IOACHIMVS RHETORVS
TRACTATUS DE VITIIS

Faint, mirrored text from the reverse side of the page, appearing as bleed-through. The text is largely illegible due to its orientation and fading.

APP
RUM
TICO
COMB
aris

INGR
PHILO

URO

ADDI
logia, con
mias

S